Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26827
Copyright: Admont, Benediktinerstift

40

Quis infirmatur et ego non infirmor? Quis
scandalizatur et ego non uror? Si ad istum non
pertineret scandalum cuiusque infirmi perditio,
quasi rigidus et sine dolore uideretur melior
esse. Absit. Stupor est non tranquillitas. Plane
fratres cum uenerimus ad eum locum, ad eam sedem,
ad eam beatitudinem, ad celestem patriam,
ubi anima nostra impleatur securitate, im
pleatur quiete et sempiterna felicitate, nullus
ibi dolor erit, quia unde doleat non erit.
Multi inquit qui debellant me timebunt. Et
ipsi stupidi quoniam nichil timent, timebunt
aliquando. Veniet enim tantus terror, qui totam
duritiam frangat et conterat. Multi qui debellant
me timebunt. Ego uero in te sperabo domine. In deo
laudabo sermones meos. In deo sperabo, non ti
mebo quid faciat michi caro. Quare? Quia
in deo sperabo. Quare? Quia in deo laudabo
sermones meos. Si in te laudas sermones tu
os, non dico ut non timeas. Impossibile est enim ut
non timeas. Sermones enim tuos aut mendaces ha
bebis, id est tuos quia mendaces, aut si ue ra
ces erunt sermones, et non eos putabis
te habere a deo, sed a te loqui, ueraces erunt, sed tu
mendax eris. Si autem cognoueris nichil te uerum
in sapientia dei, in fide ueritatis posse dicere,
nisi quod ab illo accepisti, de quo dicitur: quid enim
habes quod non accepisti, in deo laudas sermones
tuos, ut in deo lauderis sermonibus dei. Etenim
si quod in te dei est honoratur a te, et tu factus
a deo honoraberis in deo. Si autem quod in te dei est
honoraueris tamquam tuum non dei, quoniam ipse ille
longe factus est a sanctis, sic tu longe a sancto. Ergo
in deo laudabo sermones meos. In deo quia ab
ipso. Meos quia accepi. Ipse uoluit meos esse
qui dedit, amando eum cuius sunt. Qui ex illo mei sunt
mei facti sunt. Unde enim panem nostrum cotidi
anum da nobis hodie. Quomodo nostrum? Quomodo
da? Ab illo petendo non eris uacuus. Tuum est

deo. quare meos? ... deo. et meos

fitendo non eris ingratus. Si enim non dicas tuum, non ac
cepisti. Rursus si dicas tuum ita quasi a te sit
quod dicis tuum, amittis quod acceperas, quia ingratus
es illi a quo acceperas. In deo ergo laudabo sermo
nes, quia ibi ipse fons est sermonum uerorum. Meos
quia sitiens accessi et bibi. In deo laudabo ser
mones meos. In deo sperabo non timebo quid faciat
michi caro. Nonne tu es qui paulo ante dicebas,
miserere mei domine, quoniam conculcauit me homo,
tota die bellans tribulauit me. Quomodo ergo hic
non timebo quid faciat michi caro? Quid tibi faciet?
Tu ipse paulo ante dixisti, conculcauit, tribulauit,
nichil faciet cum ista faciet. Respexit ad uinum
quod manat de calcatura, et respondit. Plane
conculcauit, plane tribulauit, sed quid michi faciet?
Uua eram, uinum ero. In deo speraui, non timebo
quid faciat michi caro. Tota die uerba mea abho
minabantur. Sic est nostris: dicite ueritatem,
predicate ueritatem, annuntiate christum paganis,
annuntiate ecclesiam hereticis, annuntiate
omnibus salutem. Contradicunt, abhominantur
uerba mea. Sed cum uerba mea abhominantur,
quem putamus abhominantur? Non eum in quo lau
dabo sermones meos. Tota die uerba mea
abhominabantur. Sufficiat saltem abho
minentur uerba, nichil ultra progrediantur,
reprehendant, respuant. Absit. Istud quid dicam
hoc. Quando uerba respuunt, quando uerba
abhominantur, que uerba de fonte ueritatis
emanant, qualiter faciant illi per quem uerba ipsa
dicuntur? Quid? Non quod sequitur: aduersum
me omnia consilia eorum in malum. Si panem ipsum
abhominantur, uasculo in quo ministratur quomodo
parcunt? Aduersum me omnia consilia eorum in
malum. Si sic et in ipsum dominum, non dedignetur ergo corpus
quod precessit in capite, ut corpus hereat capiti.
Contemptus est dominus tuus, et tu uis honorari
ab eis qui longe facti sunt a sanctis? Noli tibi arrogare
uelle quod in illo non precessit. Non est discipulus maior